





1733, 6

6

FACULTATIS JURIDICÆ  
P. T.  
DECANVS,  
CONR. WILHELMVS  
Strecker/ JCTVS,

JVDICII ELECTORALIS PROVINCIALIS  
ASSESSOR, PROFESSOR JURIS PVBLICVS,  
CIVITATIS SYNDICVS ET CAVSARVM  
TVTELARIVM CONSVLENS.

L. B. S.

---

ERFORDIÆ,  
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,  
Acad. Typogr.



**H**abet in se omnis ars s. machinatio, qua viventi appetitur hæreditas, sordidum quid & propudiosum: *Improbis est*, ait Julianus *L. 2. §. 2. ff. de vulg. Et pupill. subst. qui de viventi hæreditate est sollicitus.* Adeoque illæ artes, quibus Hæredipetæ s. hæreditatum Captatores in acquirendis hæreditatibus aut legatis utuntur, pleræque iniquæ sunt ac inhonestæ, cum ex avaritia, fonte pessimo & inter omnes humanæ gentis affectus ac vitia turpissimo atque indignissimo deriventur. Sed cum aliquæ ex his artibus ita sunt comparatæ, ut cognitionem iudicis ferè effugiant, & quædam in tantam degenerarint frequentiam, ut si accuratâ semper iustitiæ librâ ponderarentur, contingeret sanè, ut pleræque testamenta impugnarentur & infinitis fora scaterent litibus, Legumlatores quasdam non probârunt quidem, sed cum expressas earum inhibitiones Reipublicæ, potius damnosas animadverterint, tacitè permiserunt. Non itaque damnant Leges nostræ, affectionibus iudicia provocare *L. 70. ff. de hæred. Instit.* conjugali sermone i. e. blanditiis inter conjuges consuetis uxorem placare *L. 3. ff. si quis aliqu. test.* maritali colloquio iudicium uxoris postremum, modò absint calumniæ & importunæ efflagitationes, in se provocare *L. 3. C. eod.* Quæ blanditiæ simplices Vitricis etiam & Novercis permittuntur

tur, licet tendant in privignorum præjudicium. Hartman. Pistor. *lib. 2. q. 29. n. 2.* Dolus tamen ex parte Novercæ facilius præsumitur maxime in his aliisque circumstantiis concurrentibus, si nempe Noverca per falsas suggillationes & excogitata contra privignos mendacia id marito persuaserit. Socin. *Conf. 159. Col. 4.* Si Noverca Notarium, testes & similia præparavit, antequam sciret, utrum maritus testari vellet, nec ne. Menoch. *lib. 4. præf. 12. n. 3.* Si testamentum, quod de die fieri potuit, nulla urgente necessitate, noctu, privignis dormientibus, fuerit conditum. Cravetta *t. 1. Conf. 35. n. 11.* Si maritus quidem petiit Notarium cum testibus, Noverca verò hæres instituta, eos ab oculis privignorum removet, occultos habuit, vel ex occulto vel abdito produxit. Berlich. *p. 3. Conc. 7. n. 8.* Si nimia diligentia in testamento patris fuit adhibita superfluis & insolitis cautelis adjectis. *L. 7. ff. de condit. Instit. Menoch. d. Præf. 12. n. 4.* Ex nimis siquidem cautelis iisque insolitis præsumptio fraudis capitur. Stryck. *de caut. testament. C. 2. §. 17.* de pluribus doli, immoderatarumque petitionum præsumptionibus vid. Burchard. Berlich. *tr. de jur. Novercar. p. 2. art. 2. Sect. 10.* Cæterum in condendis pro Novercis testamentis attendenda erit *L. 6. C. de secund. Nupt.* de cujus abrogatione sæpius iterumque his in locis disputatum fuisse memini, sed pro hujus legis observantia continuò pronunciatum fuit, & licet quondam, uti in vicina Saxonia, inter abrogatas & hic numerata fuisset; attamen per ordinat. judiciale[m] Moguntino-Erfurtensem *tit. 1. §. 3.* in usum & observantiam haud obscurè revocata est. Deinde non damnatur patientia, qua quis illius, cujus hæreditatem

) 2

aut

aut pingue legatum aucupatur, mirum ac morosum atque intractabile ingenium, moresque intolerabiles officiosissima humilitate illum in finem supportat, ut tandem, devoratis infinitis molestiis, victor de hæreditate parta triumphet. Non improbatur officiositas, qua concatenata officia offerendo auceps hæreditatis simulato plerumque animo utitur, & iudicium illius, quem captat, in se provocare allaborat. Didicerunt hanc artem apud Romanos Cauffidici inprimis & Oratores, homines divites senes & orbos sibi eligentes, quorum causas etiam iniquas in foris perorabant, ad cœnam vocabant, hos præsidēs colebant, his solis patrocinebantur gratis, hac arte non rarè impetrabant, ut, exclusis proximioribus de familia, hæredes denominati, aut saltem eximio legato beati fuerint; Has fraudes subtiliores, quibus leges mederi vix poterunt, imitatur & quorundam modernorum Advocatorum aliorumque fraus pia & obsequiosa, divitum præsertim mulierularum senio confectarum curatelas cupidinoso auri spiritu anhelant, causas earum magis sollicitâ quasi diligentia administrant, visitant sæpius, conquestissimas mittunt epulas, moribundis assident, testamenta ut condant, anxie hortantur, deprædicant merita sua, se ipsos, uxorem aut liberos mellifluis verbis commendant, ne pristinae amicitia reddantur immemores. Clerici tamen moribundis assistentes excusatiùs blandiri videntur, si non sibi, sed ecclesiis suis, Pauperibus, orphanotrophis, aliisque piis locis legata vel hæreditates blando sermone acquirere allaborant. Porro passim defenditur, captatoriam hæredis institutionem sub his formulis: *Instituto Cajum hæredem, si ille me pari-*

*ter*

ter instituerit. Vel ita: Pro qua parte Cajus me instituet, pro illa vicissim, ipsum instituo, vitiosam esse, & provocatur ad L. 70. ff. de H. F. L. 64. ff. de Legat. 1. quia turpis videtur hæc institutio verbis in futurum collatis concepta, utpote in captionem hæredis instituti facta, ut illectus illecebra hæreditatis oblatae suam alteri relinquat; secus esse putant, si verba sint in tempus præteritum collata v. g. Cajum, quia me heredem fecit, ego pariter ipsum heredem instituo; Sic enim non captatur hæreditas, sed gratus potius testatur animus, ob hæreditatem jam antea Cajo destinatam, quam gratitudinem neque in actibus inter vivos, neque mortis causa Leges dissuadent. Stryck *ir. de Caut. testam. C. 16. §. 28.* Manz. *ir. de testament. valid. vel invalid. tit. 6. qu. 25. n. 6. seqq.* Perez in *C. hb. 6. tit. 24. n. 9.* Brunn. ad L. 70. ff. de H. F. Sed si & mens & verba d. L. 70. penitius inspiciantur, vix erui poterit, captatorias institutiones sub præfatis formulis reprobari; siquidem illæ tantum captiones reprobantur, quarum conditio in secretum alienæ voluntatis confertur, sive, quibus alter testator adhuc vivus ad aperiendum & recitandum suum testamentum directò inducitur, quia talis institutio cum apertura alterius tabularum, conjuncta votum captandæ mortis inducit & hæredes in iis scripti, & legatarii inescantur quasi, ut spe potiundi hæreditatem aut legata, mortem precantur aut vitæ insidias struant. Adeoque nullius momenti est & pro non scripta habetur L. 1. ff. de his, quæ pro non scripti. Illæ autem institutiones captatoriæ, quæ simpliciter judicia mutuis affectionibus provocant, sive, quæ nulla aperiendi testamenti mentione facta, alterum ad hæreditatem nobis nostrisvè vicissim relin-

quendam commovent, non improbantur. *d. L. 70.*  
& nihil refert, talis captatoria institutio in futurum, an  
in præteritum conferatur, sed sufficit, quod non ex-  
presse imponatur necessitas, aperiendi testamentum &  
secreta ultimæ voluntatis pandendi. Thomaf. *diff. de*  
*captator. Institut. anno 1696. habitâ. Leyser meditat. ad*  
*Pandect. 8. Specim. 376.* Referunt & aliqui inter capta-  
torias institutiones eas, quæ in alterius arbitrium sunt  
collatæ. vid. Gothofr. *ad L. 79. ff. de hered. Inst. Gail.*  
*2. O. 117. n. 1.,* sed cum hîc Testator nihil capter alieni,  
male ed referuntur. Manz. *de test. valid. vel invalid. tit. 6.*  
*q. 25. n. 2.* Interim tamen talis institutio in arbitrium  
tertii expresse collata jure civili est reprobara, cum  
certum debeat esse consilium testatoris. *L. 32. pr. ff. de*  
*H. J. Tacite tamen in voluntatem tertii recte confer-*  
*tur L. 68. ff. de H. J. ubi cum quis Sempronium instituit*  
*sub hac conditione: si Titius in Capitolium ascenderit,* re-  
spondit Pomponius valere institutionem, quæ tamen  
in Titii voluntatem collata esse videtur, sed cum ibi ali-  
quid facere debeat Titius, cujus fortè interest testatoris  
fieri, & non confert in ejus voluntatem, quamvis in  
consequentiam pendeat ex ejus voluntate, valida de-  
claratur illa institutio. Secus de Jure Canonico, vî  
cujus sive expresse sive tacite voluntas ultima in arbi-  
trium tertii fuerit collata, valida est. *C. 13. X. de testa-*  
*ment. & quamvis illud capitulum plurimi restringant*  
*ad dispositionem ad pias causas. Covarruv. ad d. C. 13.*  
*n. 15. & plures ibi citati.* Id tamen in omni dispositio-  
ne etiam ad profanas causas procedere tuetur Perez in  
*Cod. tit. de hered. Instit. n. 8.,* quæ sententia, cum *Cap. d.*  
generaliter loquatur & nullam piæ causæ faciat men-  
tionem



tionem, non improbabilis est, in praxi tamen recepta  
videtur opinio Covarruv., cui adstipulatur Brunn. ad  
L. 32. ff. n. 2. de H. F. Stryck. U. M. ff. lib. 28. tit. 5. §. 11.  
De his pluribusque artibus captatoris tam licitis, quam  
illicitis occasione L. Captatorias. 70. ff. de H. F. publicè  
ex cathedrâ fufius differet

NOBILIS ET CLARISSIMVS  
CANDIDATVS

DN. JOANNES IGNATIVS  
TVRIN, *KL*

Cui Gerana nostra die 11. Novembr. MDCVIII. primum  
dedit aspicere lucem, Genitore Viro Prudentissimo Domino  
ANTONIO PAVLO TVRIN, Camerario Ordinis Senatorii pri-  
mario; Matre verò MARIA CATHARINA nata SCHOTTA-  
NA, *Duderstadtensi*. Quorum dilectissimorum parentum, quos  
adhuc vivos deveneratur, potissima cura fuit, ne hic ipso-  
rum filius, bona ulla ex parte careret educatione, quo sine  
à primis statim incunabilis ipsum non fideli tantum Præcep-  
torum intra privatos parietes informationi tradiderunt, sed  
positis primæ latinæ fundamentis, ulteriori instructioni  
Patribus S. J. concrediderunt, apud quos in humanioribus usus  
est operâ RR. Magistrorum SETFRIDO, PRÆTORE, & PIRI-  
SONIO; his absolutis Hagiopolin abiit, ubi Duce Reveren-  
do P. WIGANDO Philosophiæ Professore ordinario cursum  
philosophicum ex arte pertractavit, taliq; cum profectu ab-  
solvit, ut, finito cursu biennali, Theses ex universâ philoso-  
phia publice propugnaverit. Quo factò ad Geranam pa-  
triam reversus est, & jurisprudentiæ studio omnibus viribus  
sese applicuit. Ducem sibi elegit Virum Nobilissimum &  
Consultissimum Dn. JOANNEM MICHAÆLEM ROTERMVNDT  
J. U. D. Eminentissimi Principis Electoris Moguntini Consi-  
liarium Regiminis, Judiciæ Electoralis Provincialis Assessorem,  
& Professore Juris Publicum, sub cujus fidelissima dire-  
ctione Institutiones Justinianæ & Pandectas exceperit; sub

ME

ME DECANO Jus Canonicum & Feudale laudabili cum diligentiâ absolvit. Juris Publici fundamenta hausit ex ore Viri Prænobilissimi & Consultissimi Dn. PHILIPPI FRANCISCI de BELLMONT, Eminentissimi Principis Electoris Moguntini Consiliiarii Regiminis & Professoris Publici. Absoluto tandem ante aliquot annos cursu juridico, è re sibi esse existimavit, ad summos in utroque jure honores aspirare, illum in finem literas supplices Facultati nostræ exhibuit, petiitque eâ, qua par est, observantia, ut ad edenda specimina Doctorandis consueta admitteretur. Honesto ejus desiderio Collegium nostrum satisfacere non dubitavit, quem in finem transmisit ei textus ex utroque jure elaborandos, diemque examini rigorosè præfixit, in quibus omnibus eam eruditionis atque non temerè in acquirendis jurisprudentiæ studiis peractæ nobis fecit fidem, ut non hæsitaverimus, ei studiorum premia conferre, laureæque doctorali dignum judicare. Quare ad reliqua specimina peragenda aperuimus ipsi cathedram publicam, ex qua proximo die Lunæ, qui erit 28. Septembr., lectionem cursoriam ad *L. 70. ff. de H. J.* & hac finita ipsam dissertationem inauguralem

### DE SVBSTITVTIONIBVS

habebit. Quibus actibus solennibus, ut Magnificus Dominus Rector, singularum Facultatium Decani, Assessores, Professores, reliquique Musarum Patroni cum nobilissima studioforum corona interessè velint, officiosè ac perhumaniter invitantur. Publicatum sub Sigillo Facultatis Juridicæ die 27. Septembr. M DCC XXXIII.



ULB Halle

3

005 355 664







Farbkarte #13

B.I.G.

6

1733, 6

FACVLTATIS JVRIDICÆ  
P. T.  
DECANVS,  
CONR. WILHELMVS  
Strecker/ JCTVS,

JVDICII ELECTORALIS PROVINCIALIS  
ASSESSOR, PROFESSOR JVRIS PVBLICVS,  
CIVITATIS SYNDICVS ET CAVSARVM  
TVTELARIVM CONSVLENS.

L. B. S.

---

ERFORDIÆ,  
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,  
Acad. Typogr.